



## Universitätsbibliothek Paderborn

### Historiae Ecclesiasticae Pars ...

HISTORIAE EC||CLESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||  
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||  
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad  
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni  
magni ad trigesimum ...

**Christopherson, John**

**[Köln], 1569**

De Ioanne Apostolo, & eius Apocalypsi, & Phlauria dometilla. Cap. XIII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29861**

EVSEBII HISTORIAE

Secundus namque erat, qui contra nos Christianos (licet pater eius Vespasianus nihil iniuriæ, aut mali in nos animo aliquando excogitasset) persecutionis incendium excitavit.

*De Ioanne Apostolo, & eius Apocalypsi, & Phlania domitilla. CAP. XIII.*

**E**odem tempore fertur Ioannem Apostolum, pariter & Euangelistam adhuc in vita manentem, propter testimonium, quod verbo Dei perhibebat, in insulâ quæ Patmos dicitur relegatum. Irenæus verò ubi scribit de numeri nominis Antichristi supputatione (quæ in Apocalypsi, quam Ioanni ascribunt, memoratur) in quinto libro contra hæreses ista de Ioanne ad verbum loquitur. Vtrum palàm nomen ipsius Antichristi isto tempore prædicari oporteat, ab illo, qui eam diuinam Apocalypsin & reuelationem viderit, satis explicatum est. Neque enim longo tempore antè, Cælestis illa visio cernebatur, sed nostra propè ætate in ipso fine imperii Domitiani. Tanto perè vero temporibus illis, quæ suprâ demonstrauius, nostræ fidei doctrina splendebat, vt hi etiam scriptores, qui à sermone & disciplina religionis nostræ videantur prorsus alieni; historiarum suarum monumentis cum persecutionem, tum martyria, quæ id temporis gesta erant, tradere minimè grauati fuerint: Qui etiam temporû ordinem accurate, & tanquam ad amissim obseruabant, narrabantq; Flauiam domitillam ex sorore Flauij Clemētis (qui vnus ex consulibus tum Romæ fuit) prognatam, cum aliis plerisq;, ob Christi testimonium anno decimo quinto Domitiani in insulam Pontiam supplicij & multæ causa extrusam.

*Iren. lib. vlt. cap. 5.*  
*Apoc. 13.*

*Quod Domitianus eos qui à David descenderant occidi iubet, & de propinquis seruatoris nostri.*

*CAP. XV.*

**C**um Domitianus ipse omnes Davidis stirpe & familia pro seminato e medio penitus tolli iussisset, vetus fama est, Iudæ posteros (hunc fratrem seruatoris secundum carnem fuisse liquet) vtpote qui non à Davide solum suum genus, sed etiam ab ipso Christo sanguinis